

**דומו:**) fynecdochicè hanc accipit, *Vatablus* de totò ordine œconomicò, ceu *urbem* de communi totius reipublicæ statu seu politiâ, *vigilesque* de magistratu totaque civium multitudine. Facit huc, quod Deus *domum ædificare* aliàs dicitur, quando alicujus familiæ, liberis rei que domesticæ copiosè benedicit, dans ei sobolem numerosam, opulentiam idoneam, bonaque alia externa: vid. *Exod. I, 21.* fecit obstetricibus domos, *Deut. XXV, 9.* sic fiet viro, qui non ædificaverit domum fratris sui: 1. *Sam. II, 35.* suscitabo mihi sacerdotem fidelem, & ædificabo ei domum stabilem: item 2. *Sam. VII, 11. 16. 26. seqq.* 1. *Reg. II, 24. XI, 38. Prov. XIV, 1.* sapiens mulier ædificat domum suam; *vers. 11.* domus impiorum delebitur. *cap. XXIV, 3.* sapientia ædificabitur domus. Atq; sic & h. l. mox *vers. 3.* liberorum subjungitur mentio. Qua de causa etiam *Cajetanus* sub psalmi hujus finem, non de domo artificiali, sed naturali, sermonem hinc esse concludit. De domo Dei seu templo, *Coppenius* & *Kimchi*: quippe frustra David hanc extruere cogitavit; sub finem, ubi de Messia totum exponit psalmum, sic habet: postquam desolatam est templum, Jerusalem modo ædificata, modo rursus destructa fuit, quandoquidem fuit modo sub Edom, (i. e. Romanis,) modo sub Ismaele, (i. e. Mahumedanis,) semperque reciprocum fuit bellum, his ædificantibus, illis destruentibus. Quippe nondum placitum fuit Domino, eandem extruere ac custodire, &c. Verum Judaicæ hæ sunt nugæ, de quibus nil constitit tunc Davidi, cui potius haut dubie Spiritus Sanctus extremam Israelitarum in Mesiam ingratitude nem revelavit, eidemque debitam desolationem horrendam.

**פשוני frustra:**] h. e. cuncta consilia, labores, sudores, impensæ, optatò carebunt sine, conatus omnis erit irritus. Nomen פשוני *vanitas*, adverbii induit naturam, quod quandoque fit mediante particula, quandoque sine eâ, p. 149.

**פלוני laborant:**) tam corpore, quam animò; vide de vocis hujus significato *Dorischeum tom. 1. theol. Zach. p. 150.*

**ישמר custodiverit urbem:**] puta adversus incendia, hostium machinationes, aliave incommoda, sive publica, sive privata, quorum causâ aliàs vigiles, ut sequitur, adhiberi solent. Deus itaque imprimis est, qui defendit occultâ velut alarum expansione, nec non angelorum, præfidiò, &c. vide *Psal. CXXI, 3. seq.* non dormitat custos tuus &c.

**שקור vigilat:**] non simpliciter, ut addit hinc *Piscator*,) sed cum curâ & sollicitudine, ita ut aliquis in rem intentus sit; wacker auffmercken und auf etwas Achtung geben. Conf. *Psal. CII, 8.* vigilavi, fuique sicut avis, &c. confer *Prov. VIII, 34.* qui auscultat mihi שקור *excubando juxta fores meas quotidie*: vide illic dicta. Serò nimis versiculi hujus recordabatur *Ferdinandus Rex Aragonie ac Neapolis*, qui regnò pulsus nunc demum in senio se veritatem ejus discere profitebatur.

EXPLICATIO VERSUS II.

**פלוני frustra (vel vanitas vobis)** per apostrophen vertitur sermo ad præsentem veluti istiusmodi laboriosos, qui cuncta suis conantur, laboribus cogere, aut effectui violenter velut dare, &c. his omnibus coram in faciem dicit, quod

A falsi sint futuri, omnemque lusi ri operam. Hoc ipsò hautquaquam improbatum debita in laboribus officii industria, commendanda brevi post, *Pfalm. CXXVIII, 2.* (item *Prov. VI, 9. 10.*) verum quicquid hinc affertur, tendit ad exprimendam gratiæ divinæ concurrentis seu benedictis necessitatem.

**מטותי matutinantes surgere:**] h. e. summò diluculò surgentes, puta, ad labores maturè capeffendos, veluti phrasin hanc illustravimus *Prov. XXVII, 14.* qui benedicit amico כבקר השכר. Quoad constructionem notandum, *participium in regimine* post se habere infinitivum locò substantivi, q. d. diluculatores *surrectionis* & mox; dilatores vel *protractores sessionis*; cujusmodi constructio est etiam *Prov. XXX, 29.* מטותי לכת *benefacientes incedere*. Simul verò participium prius naturam, refert adverbii: *mane surgentes, tarde sedentes*, haut aliter ac duobus verbis invicem constructis evenire solet, v. g. *Psal. CXXVI, 2.* הגדיל יהוה לעשות, vide *Cobel. I, 7.* & *Psal. CXIII, 5.* De *Vulgato*: *surgite, postquam sederitis*; prolixè in notat. ad hunc locum *Franc. Luc. Brug.* Sic *Mogunt. stehet auf/nachdem ihr geseffen seyd.*

**מחרתי tardantes sedere:**] h. e. quietem diu differentes, vel tarde omnino cessantes; *Sedere* namque idem h. l. atque, à labore quiescere, cum opponatur *Surrectioni* ad laborem. vide *Pfalm. CXXXIX, 2.* *Thren. III, 63.* adeoque ut *Exod. XXII, 29.* Israelitis mandatur: plenitudinem tuam & lacrymam tuam ne תחרת differas, *Deuter. XXIII, 21.* & *Cobel. V. 3.* votum non תחרת differes *exsolvere*; ita & h. l. *differentes quiescere*, sunt relaxationem diu differentes. Hinc *Campensis*: etiam si fursum ac deorsum cursitantes sedere recusaveritis. *Vatablus*: vacantes totâ die operibus usque ad vesperam, serò sederis, ut quiescatis. Adeoque *non diuturna sessio*, (qualis est eorum fortè, qui agunt vitam sedentariam, tardeque à fellâ laborum recedunt,) sed *diuturna sessionis dilatio* propriè describitur, quomodo v. g. agricolæ, fabri opificesque alii, si gnavi sint, sessionem differre solent ad ultimam usque vesperam, *Pfalm. CIV, 23.* seramve noctem. Proindeque, si rigide res examinetur, non bene exponitur à quibusdam, nominatim à *Lud. de Dieu animad. h. l.* & *Muis*: qui in multam noctem sedent. Melius *Lutherus* in versione primâ: und verziehet das Sitzen. Sic *Cajetanus*: retardantes sedere, etiam si sit hora quiescendi, non curantes de quiete, retardantes quiescere ultra tempus debitum.

**עצבי (panem) dolorum:**) h. e. cibum, molestissimis quibusque laboribus curisq; conquistum, vel non absque dolore comestum, uti videre est in hominibus tenacibus, qui cibum vix audent tangere, vel mucidò semetipsos torquent pane, utcunque latratibus ventriculi satisfacientes. Vocatur is alias *panis arctus*, item aqua arcta, *1. Reg. XXII, 27.* *Lutherus* olim: und esset das hartselige Brodt. Ita namque עצבי de dolore, molestiâ ac labore anxio, usurpari, notatum est *Proverb. X, 22.* benedictio Domini ditat, nec apponit, (Dominus) עצבי dolorem ei (benedictioni.) *Aquila*: διαπονημάτων elaborationum; *Symmachus*: κακοπαθόμενον, ærumnosum; *LXX* ὀδύνης, doloris. At *Theodoretus* & editio quinta: εὐδάλων, editio sexta: πλάνης. Hieronymus, in idolis omnes

B b b b b 3 versiones